



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Cornelii Hazart Societatis Iesv Theologi Discursus Morales In Selectiora Loca Genesis, Exodi, Levitici, Numerorum

Hazart, Cornelius

Antverpiæ, 1688

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52700](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52700)

LECTOREM.

PAucis te volo, *Benevole Lector*, priusquam hujus operis mei lectionem aggrediare. Scio non ignorare te tot propemodum esse Scripturam Sacram vel exponendum, vel interpretantium genera, quot liber ille divinus, non verba dumtaxat, sed etiam apices, ac reconditos potissimum sensus complectitur.

Pars eorum non minima hoc unum agit ut litteræ corticem exteriorem discutiat. Pars circumlocutionibus, quas vulgo *Paraphrases* vocant, juxta litteram, textum elucidant: Alii denique, præmissâ ipsius textus, quoad sensum, interpretatione, quasi ex divite quadam aurifodina, sensus inde vel tropologicos, vel allegoricos, vel anagogicos, vel metaphoricos, vel morales eruderant.

Huic ego, in hoc opere, postremæ viæ insisto: Non expendo (nisi fortassis admodum raro) Scripturæ Sacræ verba, nec apices; non disputo de litterali sensu verborum, ne de novo agerem quod tot doctissimi viri ante me jam pridem egere. Hoc unum potissimum ago; Selectiora quædam loca, ut sonant, adduco, tum, quasi ex prævio quodam concionis themate, varias inde veritates morales deduco, sed modo ac stylo obvio ac familiari, non longe quæsitâ, nec exquisitâ latinitate, sed vulgari: Existimo enim, sicut præstans naturæ forma fucio non eget, sic materiam excellentem per se, comptiori stylo, aut cothurnato non indigere, ne verborum elegantia plus tribui videatur, quam dictorum substantiæ.

Quapropter moraliter sermocinaturus super libros divinos, qui hoc opere continentur, malui, communem In-

Ponendum post Titulum.

a

ter-

terpretum viam tenere, quam sequi vestigia Poëtarum, Historicorum, aut Oratorum, quibus curæ est heroica magnorum Ducum ac Principum facta describere, & laudibus exornare: Familiaria vero, meo quidem iudicio, sermone familiari tractanda exponendaque sunt.

Habeo hac in re faventem mihi doctissimum illum Romanum Philosophum *Senecam*. Sic enim primo audio illum dicentem *Epistola 100: Fabiani Papyrii*, inquit, libros legisse te cupidissimè, scribis, sed non respondisse expectationi tuæ; compositionem ejus accusas: Mores ille, non verba composuit, & animis scripsit ista, non auribus. Oratio sollicita Philosophum non decet.

Non aliter scribit idem *Seneca Epist. 75*: Minus accuratas, inquit, tibi à me Epistolas mitti, quæreris, quasi sermo meus esset si unà sederemus, & ambularemus, illaboratus & facilis: Tales esse Epistolas meas volo quæ nihil habeant accersitum nec fictum: Quid sentiam, ostendere quam loqui malo. Hæc sit propositi nostri summa, quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus, multum operæ impendi verbis non oportet. Non quærit ager medicum eloquentem, sed sanantem: Non delectent verba nostra, sed profint.

Non poterat *Seneca* ad rem nostram accommodatius loqui. Et hoc quidem te monitum volebam, *benevole Lector*, ne *Momus* aliquis, qui omnia carpit, vel *Zoilus*, qui omnibus invidet, vitio daret quod laudem meretur, vel nausearet quod infirmo aut moroso non sapit ingenio, vel ne quæret nodum in scirpo, dum operis medullâ neglectâ, etiam minimos apices carperet, si forte minus latini, aut verba, si minus exculta, aut periodos, si minus concinnæ, exploderet. Ad Grammaticos tales remitto, ut isthic scrutentur, si quid quod carpere possint, reprehendant. Nos versamur in aliis, solidas merces, non scruta divendimus.

UTERE ET FRUERE.